DE LEGIBVS
ROMANORVM SVMTVARIIS

EXERCITATIONEM

AMPLIS. ORDIN. PHILOS. CONSENSV

D. XV SEPT. A. C. N. CIƆIƆCCLI

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

FRIDERICVS PLATNER

ARTIVM MAGISTER IVRIS
VTRIVSQVE CANDIDATVS

DEFENSORE

ROMANO TELLERO

LIPSIENSI



LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA

VIRO MAGNIFICO

SVMME REVERENDO

EXCELLENTISSIMO

CHRISTIANO FRIDERICO
BOERNERO

S. THEOLOGIAE DOCTORI EIVSDEMQVE
PROFESSORI PRIMARIO ECCLESIAE CATHE
DRALIS MISNENSIS CANONICO AC SENIORI
ACADEMIAE DECEMVIRO CONSISTORII LIPSI
ENSIS ASSESSORI ALVMNORVM ELECTORA
LIVM EPHORO COLLEGII MAIORIS PRINCI
PVM COLLEGIATO EIVSDEMQVE VT ET
TOTIVS ACADEMIAE NATIONISQVE
BAVARICAE SENIORI
MERITISSIMO

PATRONO OPTIMO

Non opus ſane eſt, VIR MAGNIFICE, ut, qui Tuam in me noui ſingularem indulgentiam, cauſas huic meae epiſtolae et excuſationes longinque conquiram. Etenim cum me toties Te adeuntem beneuole exceperis, quid eſſet tandem, cur in praeſenti deſtituerer ſpe humanitatis Tuae? quae Tibi ita coniuncta eſt, ut a Te ſecedere non poſſit. Quam ob

rem

rem beneuole, vt Tibi ſolemne eſt, velis accipere, rogo, quod huic diſſertationi praeſidium et ornamentum, a Venerabili Tuo nomine petere auſus ſum. Quod, vt facerem, non ſolum ſumma, qua Te colo, reuerentia, et naſcendi felicitas, quae me a primo tempore in clientelam Tuam tradidit, mouerunt et incitarunt, ſed et huius praeſertim temporis memoria, quo ſcio omnes, qui Te colunt, ſemiſecularia Academica

mica Tua celebrare. Accepiſti enim, quod cum ſumma ſequentis temporis felicitate factum eſt, ante hos quinquaginta annos, iura Lipſienſis academiae, quae toties poſtea curae Tuae atque fidei, feliciſſimo euentu, tota fuit commiſſa et quae hodie etiam Tuo nomine eruditioneque Tua illuſtratur. Cum itaque hic annus omnibus, qui in clientela Tua ſunt, VIR MAGNIFICE, tam ſit memorabilis et


lae-

laetus, ego quoque non potui aut debui laetitiam meam diutius continere, quam votorum pietate maxime reddam insignem. Seruet TE DEVS, VIR MAGNIFICE, saluum, sospitem et florentem, tam diu, vti omnes, qui merita Tua celebrant, a DEO precantur, id est diutissime.

MAGNIFICI
NOMINIS TVI

Dabam Lipsiae d. XII. Sept.
A. C. N. CIϽ IϽCCLI

Cultor perpetuus
FRIDERICVS PLATNER.



DE LEGIBVS
ROMANORVM SVMTVARIIS

EXERCITATIO PRIMA

PRAEPARATIO




egum ſumtuariarum apud Romanos hiſtoriam ſcripturus, mihi id agendum eſſe video, vt quid efficere, aut ex qua formula a Lectoribus velim iudicari, oſtendam. Cum autem argumentum quaererem academicae diſſertationi, quod cum varietatis ac nouitatis aliquam haberet commendationem, tum etiam a meis litteris, iuriſque diſciplina non plane ab horreret, ex vtroque capite mihi leges ſumtuariae fuerunt probatae. Primo enim tanta eſt rerum in iis propoſitarum diuerſitas atque multitudo, vt aſpicientem eas animum ſingulari quadam afficiat voluptate; deinde a nemine, quod ſciam, tota harum legum ſucceſſio fuit delineata, ita vt in

hoc aliquid et noſtrae diligentiae relictum videretur, tandem etiam, tam arcto ſunt legum hiſtoriae, cum vniuerſa iuriſprudentia, coniunctae vinculo, vt nemo rationem et immutationem legum poſſit cognoſcere, niſi hiſtoriae fuerit miniſterio adiutus. Etſi autem leges ſumtuariae ad ius publicum populi Romani pertinent, neque tamen ius privatum ſine publici cognitione ſatis poterit intelligi.

Quod tandem ad rationem attinet, qua legum iſtarum hiſtoriam contexere animus eſt, trium claſſium eſſe omnes Leges Romanorum ſumtuarias exiſtimo. Aliae enim regum ſunt aut Decemuirorum, aliae poſt XII Tabulas magiſtratuum numerantur, aliae occupata re Romana Imperatorum reperiuntur conſtitutiones. Primam claſſem hac diſſertatione enarrabo. Pertinent vero ad ſumtuarias leges omnes eae, in quibus nimiis ſumtibus modus definitur. Cuius generis multae ſunt, in aliis enim gulae incontinentiae ciborumque varietati et multitudini, in aliis funerum ſuperſtitioni et profuſioni, in aliis etiam aliis libidinibus voluerunt occurrere, legum iſtarum latores. Primae diſſertationis capita, maximam partem funeraria ſunt, in quibus nihil fere aliud a me factum eſſe profiteor, quam vt ſententias doctorum hominum colligerem optimamque earum nouis forſitan argumentis confirmarem. Sed aliter fieri non potuiſſe, quicunque rem velit curatius conſiderare facile intelliget.

telliget. Aut enim quod iure fieri vix poterat, primae leges ſumtuariae, quae Codicis Papiriani fragmentis et XII Tabularum reliquiis continentur, omnino fuiſſent praetermittendae, aut ſi erant enarrandae, debebant variae earum interpretationes earumque auctores deſcribi. Quod cum ego feci neque dedecori mihi futurum eſſe exiſtimo me in rebus tam antiquis, a ſummis viris LVDOVICO CHARONDA, FRANCISCO HOTOMANO, FRANCISCO BALDVINO, PARDVLPHO PRATEIO, ANTONIO CONTIO, IACOBO RAEVARDO et qui in XII Tabularum collectione primus debuiſſet nominari IACOBO GOTHOFREDO didiciſſe. Altera diſſertatione ſi primam hancce non aegre tuliſſe doctos homines ſenſero, Liberae Romae leges ſumtuarias poſt XII Tabulas a magiſtratibus propoſitas, exponam.



CAPVT I

Lex Numae Pompilii, de piscibus in coenis deorum adhibendis ex PLINIO *et* FESTO



Numa Pompilius Romuli successor, et alter fere, propter legum propositarum vtilitatem et cultum diuinum institutum, Romani imperii conditor, ille est, cui primam sumtuariam legem debemus. Hic enim cum deorum cultui nihil tantopere nocere videret, quam si nimio sumtu adhibito, molestus pauperibus redderetur, legem proposuit, qua piscium genera in deorum coenis adhibenda, definiuit. Auctorem huius rei habemus CAIVM PLINIVM SECVNDVM [a]. *Numa* inquit *consti-*

a) *Historiae Naturalis* Li. XXXII c. II. §. 10.

b) *De verborum significatione* Li. XIIII. sub voce POLLVCERE.

constituit, vt pisces qui squamosi non essent ni pollucerent, parcimonia commentus, vt conuiuia publica et priuata, coenaeque ad puluinaria facilius compararentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent eaque praemercarentur. Eiusdem legis mentionem facere videtur SEXTVS POMPEIVS FESTVS [b] in lacero quodam loco, *Pollucere* ait *merces - - - - - - - liceat sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ouilla, alica, sesama et oleum, pisces quibus est squamma praeter scarum.* In hoc loco resarciendo elaborarunt viri doctissimi ANTONIVS AVGVSTINVS et IOSEPHVS SCALIGER [c]. AVGVSTINVS existimauit legendum esse *Pollucere Mercurio quae liceat etc.* At melius restituisse mihi videtur eundem locum SCALIGER sequenti ratione emendans, *Pollucere merces diis quas liceat sunt far etc.* Sed vt iam ad hanc ipsam legem reuertamur, ex PLINII [d] loco satis patet, hanc legem ad sumtuarias esse referendam. Etenim cum nulla de alia causa hanc legem scripserit Numa, quam *vt conuiuia publica et priuata, coenaeque ad puluinaria facilius compararentur,* apparet, pisces qui squamosi non essent, non propter religionem; aut quod minus gratos diis arbitraretur, aut aliam ob

 causam

c) *In animaduersionibus ad* FESTVM. in ANDREAE DACERII editione FESTI p. 354.
d) l. c.

causam fuisse prohibitos, sed solum propterea vt sumtibus parceretur. Cum ita ex PLINII verbis demonstrauerimus, hanc legem merito a nobis inter sumtuarias esse relatam, in eo nunc nobis elaborandum est, vt quantum pro rerum istarum antiquitate poterit fieri, verba ipsius legis restituamus, sententiamque eorum explicemus. Quod primo ad verba attinet, FVLVIVS VRSINVS[e] ita hanc legem expressit PISCEIS. QVEI. SQVAMOSEI. NON. SIENT NEI. POLVCETO. SQVAMOSOS. OMNEIS. PRAETER SCAROM. POLVCETO, atque eodem fere modo, mutata saltem scriptura, IOSEPHVS SCALIGER hanc Numae legem reddidit. Quare cum super ipsa lege nihil habeamus monendum, de sententia eius legis dicendum est. Primo quidem cum tota haec lex de polluctu agat, de hoc sacrorum ritu exponendum esset, nisi me doctrina Viri Celeberrimi IOHANNIS MATHIAE GESNERI[f] ab hoc labore liberasset, qui multis scriptorum testimoniis demonstrauit, *Pollucere* dici *diis aliquid offerre et iisdem consecrare*. Iam itaque facile patet ex hac verbi sen-

tentia,

e) *In notis ad* FESTVM l. c.

f) Vide *Thesaurum Linguae Latinae* Tomo III p. 935. vbi omnia verba huc pertinentia illustrantur.

g) *Historiae Naturalis* Li. XXXII cap. 2.

h) *Saturnaliorum* Li. II. c. 12

i) Vide praeter eos PAVLLVM IOVIVM *de Piscibus Romanorum* c. II et IOHANNEM MATHIAM GESNERVM in Thesauro Latinae Linguae Tomo IIII pag. 320. mi-

tentia, totam hanc legem, ad ſacra pertinuiſſe, modumque ſuperſtitioni hominum fuiſſe conſtitutum. Cur vero Piſces qui ſquamoſi non ſunt, non debeant pollucere, expedita eſt reſponſio, quoniam ſine dubio eius generis piſces rariores eo eſſent tempore, quod et patet ex eo, quod ſcarum Numa inter ſquamoſos exceperit. Quam vero hic piſcis, quem ſcarum vocant, fuerit celebratus, tam ex PLINIO [g] quam etiam ex MACROBIO [h] diſcimus [i].



CAPUT

ror IOHANNEM MANELPHUM *in menſa Romana*, de Scaro nihil dixiſſe, de tota praeterea hac lege adeundi ſunt FULVIUS URSINUS in notis ad ANTONIUM AUGUSTINUM *de Legibus* p. 6. et CHRISTIANUS GODOFREDUS HOFFMANNUS *in Hiſtoria Iuris Romani Iuſtiniani* Vol. II p. 33. et qui haec nuper apud Gallos repetiit ANTOINE TERRASSON *dans l'hiſtoire de la Iuriſprudence Romaine* p. 32.

Capvt II

Altera Numae lex de libationibus et rogorum resperſione, ex eodem PLINIO

Numae haec quoque lex eſt, quem in ſacrorum funerumque religione inſtituenda ſummam curam adhibuiſſe e LIVIO [a] diſcimus. Huius etiam legis memoriam maiori PLINIO [b] debemus, cuius haec verba ſunt. *Numae regis Poſtumia lex eſt; Vino rogum ne reſpergito, Quod ſanxiſſe eum propter inopiam rei nemo dubitet. Eadem lege ex imputata vite libari vina diis nefas ſtatuit, ratione excogitata, vt putare cogerentur.* Duo huius legis capita eſſe ipſe PLINIVS oſtendit, primum eſt de rogi reſperſione; alterum

a) *Hiſtoriarum* Li. I c. 20.

b) *Hiſtoriae Naturalis* Li. XIIII c. 12 in hoc loco ſuſpicor pro *Numae regis* POSTVMIA *lex eſt* forſan legendum eſſe *Numae regis* POSTVMA *lex eſt.*

c) Ad ANTONIVM AVGVSTINVM *de legibus* p. 6.

d) Vide apud FVLVIVM VRSINVM l. c.

e) *De Legibus* Li. II c. 24. vide ad eum locum, ADRIANVM TVRNEBVM in editione ſua, huius libri Ciceroniani, quae prodiit *Pariſiis* a. CIϽ IϽ LVII apud *Morellum* 4to p. 178. et praeterea DA

Alterum ne ex imputata vite Diis libarent. Primae legis verba ita expressit FVLVIVS VRSINVS [c]; VINO ROGON NEI RESPERGITO. Quaesitum fuit, an hoc loco debeat scribi, VINO ROGON NEI NESPARGITO ex FESTI [d] epitomes auctoritate, vbi RESPARSVM VINVM legitur. At confirmatur superior lectio, cum ex CICERONE, tum etiam ex ipsis Plinianis verbis. Quod ad causam huius legis attinet, videtur olim hic mos apud quosdam populos Numae tempore obtinuisse, vt rogum eo tempore, quo cadauer cremaretur, vnguentis et vino praecipue respergerent, ne qui proximi essent, foetoris incommoda ferre cogerentur, quam consuetudinem CICERO [f] *sumtuosam* vocat *respersionem* [g]. Numae lege itaque huic mori in funeribus fuit interdictum, qui tamen videtur eo regnante nondum ad Romanos peruenisse, cum PLINIVS [h] dicat: *Romulum lacte, non vino libasse indicio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custodiunt morem*, et paulo post haec verba legantur, *quod sanxisse eum propter inopiam rei, nemo dubitet.* Ex quibus verbis patet, eo tempore

B quidem


VISIVM in IACOBI OLIVETI editione operum CICERONIS Tomo III p. 223

f) l. c. vid. si voles, PAVLLVM MERVLAM *de Legibus in* IOHANNIS POLENI *supplementis ad vtrumque Thesaurum*, Tomo I p. 76

g) Vide IACOBVM GOTHOFREDVM *in fontibus quatuor iuris ciuilis* ad Tabulam X p. 232. huius legis insolentem scripturam vide apud IOH. NICOL. FVNCCIVM *ad Leges XII Tabularum* p. 447

h) l. c.

quidem hanc conſuetudinem Romanis vſitatam non fuiſſe, neque vini apud eoſdem frequentem vſum fuiſſe, Numamque tantum proſpicere voluiſſe, ne aliorum populorum moribus abriperentur. Poſt Numae tempora videtur hic mos quoque a Romanis in cadauerum crematione adhibitus eſſe, cum Decemuiri eandem retinuerint legem in XII Tabulis[i]. Alterum caput Pompiliae legis ad nos in praeſenti non pertinet, cum in eo nihil, quod ſumtus coerceat, reperiatur. De reliquis regibus Romanis, nulla quidem, quod ſciam, huius generis, lex fuit ad noſtra tempora tranſmiſſa, neque talis, poſt reges expulſos, vſque ad XII Tabulas, a Decemuiris compoſitas, occurrit. Hinc ſine mora XII Tabularum carmina percenſebimus, in quorum collectione IACOBVM GOTHOFREDVM ſequemur ducem.



CAPVT

i) vide Tabulam X eiuſque commentarios, inter quos praecipuum IACOBI GOTHOFREDI loco memorato.

a) Libro ſupra memorato Tabula X. GOTHOFREDI rationem ſcribendi retinuit IANVS VINCENTIVS GRAVINA



CAPVT III

De ſumtu a Deorum manium iure remouendo

Cum in decima Tabula legum Decemuiralium, occurrant carmina de iure ſacro, in quibus funerum praeſertim ratio definitur, huius etiam Tabulae pleraque capita ad nos pertinere apparet. Primam legem, quae ſumtuaria eſt, ita reſtituit IACOBVS GOTHOFREDVS[a], SVMTVS ET LVCTVM A DEORVM MANIVM IVREMOVETO. Antequam ad huius legis interpretationem accedamus, quaedam de diuerſitate ſcripturae exponemus. AYMARVS RIVALLIVS[b] hoc caput ſequenti ratione ſcripſit: DEORVM MANIVM IVRA SANCTA SVNTO HOS LETO DATO DIVOS HABENTO SVMPTVM IN ILLOS LVCTVMQVE MINVVNTO. Hoc caput in collectione ſua plane omiſerunt FRANCISCVS HOTOMANVS[c], FVLVIVS

in Operum Lipſienſi editione p. 193.

b) v. eius *ciuilis hiſtoriam Iuris ſiue in XII Tabb. commentariorum Libros V* qui prodierunt *Moguntiae* CIƆ IƆ XXXIII 8tauo.

c) In *tripartita de legibus XII Tabularum commentatione*, quae prodiit *Lugduni* CIƆ IƆ LXIIII

VRSINVS[d], ANTONIVS CONTIVS[e], FRANCISCVS BALDVINVS[f] et LVDOVICVS CHARONDAS[g]. Eiuſdem legis mentionem iniecit his verbis: SVMTVM MINVVTO, in ſuo commentario ad Decemuirorum leges THEODORVS MARCILIVS[h]. IOHANNES NICOLAVS FVNCCIVS[i] peculiari ſcriptura hanc legem expreſſit: SVMTOS. LVCTOM. QVE. AF. DEORVM. MANIOM. IOVRED. REMOVETOD. Omnes, qui hoc caput ad leges Decemuirales retulerunt, CICERONEM ſecutos eſſe, extra omnem dubitationem eſt poſitum. *Iam cetera*, inquit CICERO[k], *in* XII. *Minuendi ſumtus ſunt, lamentationeſque funerum;* ex quibus TVLLII verbis permulti colligunt, ſingulare caput in XII Tabularum lege fuiſſe, quod omnes omnino ſumtus abrogaret. Deinde vero praecipuis quibuſdam ſumtuoſis conſuetudinibus interdici ſubſequentibus legibus. Et poteſt ſane videri, hanc legem a CICERONE ex Decemuirorum praeceptis fuiſſe deſumtam, quorum ſi hoc vnum eſt? eius eſt ſine dubio ſententia: in funerum pompis minimas impenſas faciendas eſſe [l].

CAPVT

d) In *notis ad* AVGVSTINVM *de legibus.*

e) In *breui collectione veteris Legis XII Tabularum fragmentorum*, quam vide in EDMVNDI MERILLII *collectione Operum Contianorum* Pariſ. CIϽ IϽCXVI 4to p. 854 *ſeqq.*

f) *In commentario de Legibus XII Tabularum.*

g) Huius reſtitutionem XII Tabularum *Hiſtoriae Iuris ciuilis Romani* inſeruit CHRISTIANVS GODOFREDVS HOFMANNVS Vol. II. p. 284

h) In *Legis XII Tabularum col-*

Caput IIII

De rogo ascia non poliendo

Cum superior lex, omnes in genere sumtus, in funerum pompa amouendos, praeceperit, nunc, quae sequuntur, XII Tabularum legis capita, variis sumtuum speciebus interdicunt. Prima, quae occurrit, ex IACOBI GOTHOFREDI [a] collectione, est: ROGVM ASCIA NE POLITO. Instituti nostri ratio postulat, vt primo collectorum restitutiones referamus. AYMARVS RIVALLIVS [b] hanc legem ita expressit: IN. VRBE. NE. SEPELITO. NEVO. VRITO. ROGVM. NE. FACITO. ASCIA NE. POLITO. RIVALLIVS cum hanc legem interpretatur, hanc ei affingit, falsam sine dubio, sententiam: *In vrbe neminem neque sepeliendum neque vrendum esse, neque cremationis causa rogum in vrbe exstruendum,*

lecta et interpretamento, in *Thesauro Iuris* EVERARDI OTTONIS V. C. Tomo IIII p. 302

i) l. c. pag. 421. de FVNCCII scriptura vide, si lubet, BALTHASARIS BRANCHV *Obseruationum ad Ius Romanum* Decadem I Cap. X pag. 115 et in *Addendis* ad Decadem primam p. 233

k) De Legibus Li. II. c. 23

l) Vide IACOBVM GVTHERIVM *de iure manium* in IOH. GEORGII GRAEVII *Thesauro antiquitatum Romanarum* Tomo XII p. 1125

a) l. c. *b*) l. c. p. 22

dum, nullum vero monumentum ascia esse poliendum. ANTONIVS CONTIVS[c] hanc legem eodem fere cum RIVALLIO modo scribit: NE FACITO ROGVM ASCIA NE POLITO. FRANCISCVS autem HOTOMANVS* BALDVINVS[d], THEODORVS MARCILIVS[e], FVLVIVS VRSINVS[f], LVDOVICVS CHARONDAS[g], et IANVS VINCENTIVS GRAVINA[h] eadem cum GOTHOFREDO nostro, scriptura vtuntur, a qua tamen pro more suo FVNCCIVS[i] recedit. Haec lex, ex CICERONIS libris *de Legibus*[k] desumta, ab omnibus, fuit XII Tabulis inserta, in quibus haec verba sunt: *Hoc plus ne facito.* ROGVM ASCIA NE POLITO. Etsi omnes fere conueniunt in eo, *asciam* instrumentum quoddam aedificantibus necessarium fuisse, tamen quale id fuerit, an ad muros conficiendos, an ad dolanda ligna adhibitum fuerit, plerique dissensere. Multi autem propterea ab eorum sententia, qui asciam pro dolabra habuerunt, abalienati sunt, quod in antiquis inscriptionibus saepe haec occurrat formula: SVB ASCIA DEDICARE. Cuius quidem formulae rationem vberius exponere huius loci

c) l. c. p. 864
*) loco laudato p. 40
d) l. c. p. 141
e) l. c. ead. p.
f) p. 25
g) l. s. l. p. 288
h) pag. 298 similem scripturam retinuit etiam IACOBVS RAEVARDVS *ad leges XII Tabula-*

loci non eſt, cum abunde explicauerit IOHANNES MATHIAS GESNERVS [l] Vir ſummus, *aſciam* nihil aliud niſi dolabrae ſpeciem fuiſſe, quod cum ex variis auctorum locis, tum praeſertim VITRVVII [m] verbis intelligitur: *Sumatur aſcia, et quemadmodum materia dolatur* (ex quo V. C. collegit, *aſciam* ligno caedendo aptam fuiſſe) *ſic calx in lacu macerata aſcietur, ſi ad aſciam offenderint calculi, non erit temperata.* Quoniam vero patet, *aſciam* fuiſſe dolabrae ſpeciem, facile ſententia legis perſpicitur; ne ſcilicet dolata ligna ad rogum adhiberent. Eo vero in ſumtuum libidine Romanos proceſſiſſe, vt non dolatis, ſed pictis etiam, rogis vterentur, docte ADRIANVS TVRNEBVS [n] ex PLINIO demonſtrauit.



CAPVT

rum pag. 55. Helmſtadii 4to d. a. CIↃ IↃCLXII

i) p. 425

k) Li. II. c. 23

l) Theſauri L. L. Tomo I p. 474

m) Li. 7 c. 2

n) *in Commentario ad Ciceronem de Legibus* p. 170

CAPVT V

De riciniis et tibicinibus

In IACOBI GOTHOFREDI collectione de rogo legem haec excipit: TRIBVS RICINIIS ET X TIBICINIBVS FORIS EFERE IVS ESTO. Hocce caput plane omiserunt AYMARVS RIVALLIVS et FRANCISCVS HOTOMANVS. FRANCISCVS BALDVINVS[a] huius capitis quidem aliquam fecit mentionem, neglectis tamen verbis. A GOTHOFREDI restitutione multum distat LVDOVICI CHARONDAE[b], neque plane cum ea conuenit ANTONII CONTII. CHARONDAS Decemuiralem legem hanc fuisse auctor est: TRIA RICINIA RICA PVRPVREA DECEM TIBICINES NEC AMPLIVS SVNTO. E contrario CONTIVS[c] scribit: TRIBVS RICINIIS ET CLAVIS PVRPVREIS ET DECEM TIBICINIBVS IN DVCENDO FVNERE VTVNTOR. Quod ad ipsius huius legis auctoritatem attinet, extra omnem dubitationem posi-

a) p. 143
b) p. 288. No. LXXXVI
c) p. 564
d) *d. V. S. sub* RECINIVM.

positum esse videtur, in XII Tabulis Riciniorum mentionem factam fuisse, cum ex FESTI [d] quodam loco hoc satis clare appareat. *Recinium*, inquit ille, *omne vestimentum quadratum. Ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres vtebantur, praetextum clauo purpureo, vnde reciniati mimi planipedes, quam rem diligenter exsequitur Santra Libro secundo de proprietate verborum.* CICERONIS [e] etiam verba manifeste ostendunt, in XII Tabulis aliquid de Riciniorum numero fuisse definitum. *Extenuato igitur sumtu*, sunt haec CICERONIS verba, *tribus riciniis et vinculis purpurae, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Iam ex his locis, ni fallor, commode potest sententia huius capitis Decemuiralis intelligi, atque videtur mihi omnino hoc in loco, CONTII probabilior, quam ipsius GOTHOFREDI, restitutio. Etenim, tria videntur in hoc capite fuisse definita. I.) *Reciniorum numerus.* II.) *Tibicinum numerus.* III.) *Vsus claui purpurei.* Haec omnia in hac lege fuisse coniuncta ex CICERONIS et FESTI supra recitatis verbis planissime confici posse arbitror: si vero in praesenti quis quaerere vellet, quid sit Recinium, et cur numerus reciniorum fuerit coercitus, et

RICA et ORCHESTRA.

e) Li. II. *de Legibus* c. 22. confer ad hunc locum ADRIANI TVRNEBI annotationes p. 175.

quem tandem vſum in funeribus habuiſſent? non ſane, quid certi reſponderem; expeditum haberem. Ita enim fuit ſuper hoc capite in diuerſas partes diſputatum, et tot docti viri ſuper eo decertarunt, vt ſi ego hanc litem componere vellem, parum virium mearum rationem habuiſſe viderer. Si vero colligantur ſummorum Interpretum ſententiae, in duas partes plerumque diſcedunt, vt et nuper ad hoc caput IOHANNES NICOLAVS FVNCCIVS [f] animaduertit. Alii [g] enim hanc amplexi ſunt ſententiam, vt ipſi cadaueri haec ricinia Romanos addidiſſe putarent; alii vero mulieres hiſce veſtibus, luctus indicandi cauſa vſas, fuiſſe exiſtimarunt [h]. De TIBICINVM numero ſatis clare pronunciatum eſt. Etenim ſatis conſtat, Tibicines adhibuiſſe Romanos in funerum pompa [i]. Ne tamen quidam nimis magnum numerum tibicinum adhiberent, decem adhiberi tantum permiſſum fuit [k]. Qualem tamen vſum claui purpurei praeſtiterint, non ſatis patet. Sunt enim alii, qui riciniis clauos purpureos intextos fuiſſe dicant [l]; alii qui purpureis vinculis ricinia cadaueri adſtrinxiſſe exiſtiment. Neque vtraque ſententia veritatis deſtituitur ſpecie.

CAPVT

f) l. c. p. 428.

g) inter quos eſt IACOBVS GOTHOFREDVS.

h) inter quos eſt IACOBVS RAEVARDVS et IACOBVS GVTHERIVS.

i) poteſt hoc diſci ex OVIDII *Faſtorum* Li. VI. v. 657 ſqq.

Temporibus veterum tibicinis vſus auorum
Magnus, et in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat moeſtis Tibia funeribus.

CAPVT VI

De ossibus legendis

Solemne olim fuisse, antiquissimis Romae temporibus, vt vni duo funera facerent, ex lege, qua huic consuetudini interdictum est, intelligitur. Hanc legem GOTHOFREDVS in XII Tabulis ita restituit: HOMINI MORTVO OSA NE LEGITO QVO POST FVNVS FACIAS EXTRA QVAM SI BELI ENDOVE HOSTICO MORTVS ESCIT. FVLVIVS VRSINVS[a] simili fere cum GOTHOFREDO scriptura vsus est. CONTIVS[b] autem hanc legem expressit: HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO QVO POST FVNVS FACIAT NI IS ENDO DVELLO PEREGRIVE MORTVVS SIET. In MARCILII[c] *collecta* hoc caput sic legitur: NE OSSVA LEGITO QVOI POST FV

 NVS

k) hoc etiam OVIDIVS l. c. v. 663 demonstrat.

Adde, quod Aedilis, pompam qui funeris irent
Artifices solos, iusserat esse decem.

Ad hunc locum suspicatus est GOTHOFREDVS legendum esse pro *Aedilis*, *Edictis*, et pro *iusse*-

vulgaris lectio mihi magis probatur. *l*) l. c. p. 1125.

a) FVLVII VRSINI scriptura haec est HOMINI . MORTVO . OSA . NEI . LEGITO QVO.POST.FONVS.FACIAT EXTRA . QVAM . SEI . QVIS FORIS. MEILITIAEQ . MORTVOS . SIET *b*) l. c. p. 565.

NVS FAXIT. Alii vero, in quibus eſt RIVALLIVS cum BALDVINO, hoc caput neglexerunt.

Inter ſe maxime diuerſas eſſe duas rationes loquendi, *mortuo oſſa legere* et *mortui hominis oſſa legere*, annotauit MERVLA [d]. Qui, *mortuo oſſa legere*, dicit aliquod membrum abſcindere, vt poſt crematum reliquum corpus funus inſtitui poſſit. Quod optime ex FESTI [e] verbis cognoſcitur: *Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus decidebatur, ad quod ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore combuſto.* Haec FESTVS. Hoc quoque fragmentum legis XII Tabularum, vt reliqua fere omnia, a CICERONE [f] relatum eſt: *Caetera item funebria, quibus luctus augetur, duodecim ſuſtulerunt. Homini, inquit* (lex XII Tabularum) *mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus faciat, excipit bellicam peregrinamque mortem.* Ex quibus CICERONIS verbis efficitur, in XII Tabulis hoc caput fuiſſe. Sententia huius capitis eſt, ne oſſa mortuis legant, (quod, quid ſit, ſupra fuit explicatum) quo poſt funus faciant. Nullam aliam ob cauſam hanc legem a Decemuiris fuiſſe ſcriptam, quam vt ſumtus funebrium minueretur, ex CICERONIS verbis cognoſcitur.



CAPVT

d) l. c. cap. 8

e) de V. S. v. Li. XI in editione in Vſum Delphini facta p. 236.

f) de Legibus Li. II c. 24. et



CAPVT VII

De seruili vnctura atque circumpotatione

Summam curam Decemuiros in eo posuisse, vt funerum sumtus minuerentur, patet ex eo, quod de omnibus fere constituerunt, quae, quod sumtuosa essent, poterant molesta pauperibus fieri. Huius generis erat antiquis temporibus, quibus XII Tabularum lex fuit proposita, seruilis vnctura. Quam sustulerunt, referente IACOBO GOTHOFREDO, lege sequenti. SERVILIS VNCTVRA OMNISQVE CIRCVMPOTATIO AVFERITOR. Aliam legem huic capiti adiungit FVLVIVS VRSINVS[a]: SERVILIS. VNCTVRA. CIRCVMPOTATIOQVE. QVOM. FONVS. EXSEQIANTOR. VINEIVE. RESPERSIO. NEI. FVAT. ACERAS. SEPOLCREIS [illegible] . LONGAS. KO-

TO OMNEMQVE CIRCVMPOTATIONEM. FRANCISCVS[c] BALDVINVS[d] et MARCILIVS vnam fere eandemque cum GOTHOFREDO ſeruant ſcribendi formulam. RIVALLIVS hanc legem omnino ignorat. Variae fuerunt interpretationes ſeruilis vncturae. Fuerunt quidam[e], qui prohibitum fuiſſe putarent, ne vncti ſerui in funebri pompa procederent. Alii hanc huic legi tribuerunt ſententiam, ne ſeruorum cadauera vngerentur[f]. Alii optimam, ſi quid video, amplexi ſententiam, hoc caput interpretati ſunt de pollinctorum familia. Ex hac interpretatione Decemviri ſanxerunt, ne cadauera a ſeruis, qui Pollinctores dicebantur, vngerentur, in vnctione autem circumpotationem fuiſſe ex LIVIO[g] oſtendit MARCILIVS[h] quam cum vnctura ſimul ſublatam fuiſſe demonſtrat.



CAPVT

c) p. 45. l. c. d) p. 144. l. c.
e) inter quos eſt CONTIVS l. c.
f) hanc ſententiam amplectitur RAEVARDVS pag. 58. HOFFMANNVS l. c. pag. 271. et, qui fideliter hunc ſecutus eſt, TERRASSONIVS l. c. p. 190. quanquam non negari poteſt, GOTHOFREDVM hoc caput eodem modo explicare.

CAPVT VIII
De murrata potione

Praeter vncturae autem impensas, alios sumtus Romanos fecisse, cum illis fere conuenientes, testimonio est noua Decemuirorum prouidentia, alio capite declarata. GOTHOFREDVS auctor est, Decemuiros scripsisse, MVRATA POTIO MORTVO NE INDITOR. Sed cum iam supra Capite II. sumtuosae respersionis naturam indicauerimus, quam CICERO per murratam potionem explicat, hoc loco nihil amplius monendum habemus [a]. Etenim cum constet, regum Romanorum leges permultas fuisse a Decemviris in XII. Tabulas relatas, haec sine dubio etiam, quam Numa rex, vti declaratum PLINII loco fuit, proposuit, in XII Tabulas postea fuit recepta. GOTHOFREDVS [b] auctor est, hanc legem et Numae praeceptum in eo tantum discrepasse, quod Numa omnem vini profusionem, et simplicis adeo, interdixerit, Decemuiri vero murrati tantum,

CAPVT VIIII

De coronis et acerris

Aliud Decemuirorum carmen eſt: NE LONGAE CORONAE NEVE ACERAE PRAEFERVNTOR. Duo ex hac lege XII Tabularum capita effinxit LVDOVICVS CHARONDAS[a]. Quorum primum eſt: NE LONGAE CORONAE SEPVLCRIS IMPONANTVR: Alterum: NE ACERRAE PRAE FERANTVR. Ex CONTII[b] reſtitutione plane haec lex ad nos in praeſenti non pertinet, cui haec fuiſſe videtur: NE LONGAE CORONAE NEVE ACERRAE PRAETEREVNTOR. Quae coniectura, quantum cum veriſimilitudine pugnet, omnes videbunt, et mirabile ſane videri poteſt MARCILIO[c] eandem emendationem probari potuiſſe. FVLVIVS VRSINVS[d] hoc caput cum eo coniunxit, quod ſupra[e] ſumus interpretati. HOTOMANVS[f] eandem, quam de GOTHOFREDO retulimus

a) l. ſ. l. b) l. c. p. 24.
c) l. c. mouit ſine dubio.
d) pag. 24. CONTIVM et MARCILIVM vt hanc ſententiam acciperent, locus quidam CICERONIS induxit, vbi hanc legem memorat, qui tamen ſufficere non videtur ad hanc ſententiam confirmandam. CICERONIS verba vide Li. II. *de Legibus*. c. 24.

mus, emendationem habet. RIVALLIVS in ſuo opere hanc legem non reſtituit. Cur vero Decemuiri voluerint coronarum vſum tollere, atque quales eae coronae fuerint, non ita eſt ab omni difficultate liberum, vt ſtatim pronunciari liſque decidi poſſit. Etenim in huius quoque legis interpretatione, vt in multarum aliarum, in diuerſas partes abierunt interpretes. Quibuſdam viſum fuit, coronas hac lege aureas intelligi earumque vſum fuiſſe ſublatum. Mihi inter diuerſas ſententias ea maxime fuit probata, quam GOTTFRIDVS MASCOVIVS V. C.[f] in animadverſionibus ad GRAVINAM[g] protulit: Qui in ea eſt ſententia, longas coronas breuibus et depreſſis tantum opponi, et propterea longarum coronarum vſum non fuiſſe a Decemuiris admiſſum, quod eae diis imponerentur. De acerris quales fuerint, hodie vix certo conſtare poteſt, cum ex FESTI quodam loco poſſit colligi, eius iam tempore controuerſias ſuper eo verbo motas fuiſſe. *Acerra* (inquit FESTVS) *ara, quae ante mortuum poni ſolebat in qua odores incendebantur. Alii dicunt arculam eſſe thurariam. Scilicet vbi thus reponebatur*[h]. Qualis autem tandem fuerit acerra, nihil propemodum intereſt.

Etenim, quod ſumtuariis legibus adnumeremus ſatis, iuſta cauſa videtur adfuiſſe. Acerras enim ſuſtulerunt Decemviri, quod thus in iis incenderetur. Thuri vero pretium ſummum et maximum fuiſſe antiquis temporibus, quibus mercaturae auxilio eſſent Romani fere plane deſtituti, facile cognoſcitur. Sententia huius legis fuiſſe videtur, ne in funerum pompa imponerent defunctis longas coronas, et thus ante cadauera comburerent. Singulare quoddam privilegium de coronis conceſſum fuit iis, qui coronam vel ipſi, vel per ſeruos meruerant.



CAPVT

a) l. c. p. 25. b) l. c. p. 93.
c) l. c. p. 309. c. LXXXXVIII.
d) Li. II *de Legibus* c. 24.
e) De lectis eorumque vſu in fu-

CAPVT X
De funerum repetitione et de lectis sternendis

Hoc caput apud GOTHOFREDVM ſic legitur: VNI PLVRA. FVNERA. NE. FACITO. NEVE. PLVRES LECTOS. STERNITO. FVLVII VRSINI [a] autem huius capitis ſcriptura eſt: PLVS A. FONERA. VNEI. NEI. FACITO NEI. VE. PLVSEIS. LECTOS. EN. DO. FERTO. Qua ſcribendi ratione etiam vidi PAVLLVM MERVLAM [b] vſum fuiſſe. MARCILIVS [c] ſcribit VNI. PLVRA. FVNERA LECTOSQVE. PLVRES. NE. INFERTO. NEVE. AVRVM ADITO. RIVALLIVS, BALDVINVS et CONTIVS hanc legem praetermiſerunt. Eſt vero hoc caput, vt pleraque, de quibus diximus, ex CICERONE [d] deſumtum. Duo in eodem a Decemuiris ſanciuntur: Quorum alterum eſt, *ne plura funera vni facerent.* Quae quidem huius fragmenti pars videtur fere nulla explicatione indigere, cum omnino conueniat cum eo capite, quod ſupra de oſſibus legendis in-

CAPVT XI
De auri vſu in funere

Vltima in GOTHOFREDI collectione, quae ad nos pertinet, decemuiralis lex eſt: NEVE. AVRVM. ADITO. AST SI. CVI. AVRO. DENTES. VINCTI. ESCINT. IM. CVM. ILLO. SEPELIRE. VREVE. SE. FRAVDESTO. Fuerunt, qui hanc legem vellent cum ſuperiore coniungere, recte autem, ſi quid video, haec duo capita diſiunxit GOTHOFREDVS. Ii enim, qui vnum caput ex hoc et ſuperiore faciunt, haec verba *neue Aurum addito* intelligunt de lectis inauratis. Quod cum faciunt, nimis arctam ſane efficere videntur legis voluntatem. Omne enim aurum vetuit mortuis, cum vrerentur, addi. Nam ſi licuiſſet aurum rude vel factum mortuis addere, quorſum rem tam inſolentem, vt dentes auro vinctos, excepiſſent? Qui videntur GOTHOFREDO fuiſſe, decidui auro confirmati, quales forſitan MARTIALIS emtos dixit:

Thais habet nigros, niueos Lecania dentes [a]
Quae ratio eſt? Emtos haec habet, illa ſuos.

TANTVM



a) *Epigrammatum* Li. V cap. 44